10

DISPUTATIO MEDICA,
INAUGURALIS,
DE
MENSTRUORUM PROFLUVIO IMMODICO.

QUAM,

ANNUENTE SUMMO NUMINE,

Ex Auctoritate Reverendi admodum Viri,

GULIELMI ROBERTSON, S.S.T.P.

ACADEMIÆ EDINBURGENÆ PRÆFECTI;

NEC NON

Ampliſſimi SENATUS ACADEMICI conſenſu,

Et nobiliſſimae FACULTATIS MEDICÆ decreto;

PRO GRADU DOCTORIS,

SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS ET PRIVILEGIIS RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS;

Eruditorum examini ſubjicit

ROBERTUS PERONNEAU,
CAROLINENSIS MERIDIONALIS.

Prid. Id, Junii, hora locoque ſolitis.

EDINBURGI:
Apud BALFOUR et SMELLIE,
Academiae Typographos.

M,DCC,LXXV.

Juveni ingenioso,
Ricardo Dennison Armigero
suo diu sodali, familiari,
Amico certo,
offert Auctor.

HENRICO PERONNEAU,

A R M I G E R O,

Carolinae Meridionalis Ærario,

Fratri ſuo piiſſimo, amantiſſimo,

Parentiſque, ſe puero, adempti,

Sibi ſemper deinde omni officio

Perfuncto,

Eoque merito magis, quam natura,

Cariſſimo,

Semperque honorando;

Item,

Sororis ſuae conjugi,

ALEXANDRO GARDEN, M. D.

Societ. reg. Lond. et Upſal. Socio,

Carolopoli in Carolina Meridionali

Medico principi,

Literarum, rerum naturae, et medicinae cognitione,

Late fama noto,

Ob egregiam in ſe voluntatem,

Suamque educationem ſpectantia

Monita, amica pariter et prudentia,

Hanc diſputationem

D. D. C.

ROBERTUS PERONNEAU.

DISPUTATIO MEDICA

INAUGURALIS,

DE

MENSTRUORUM PROFLUVIO IMMODICO.

SANGUINIS profluvia in Activa et Paſſiva diviſa ſunt. Illa quarto Pyrexiarum ordine Culleniano, nempe Haemorrhagiarum, comprehenſa ſunt; haec ad tertium morborum Localium ejuſdem viri ordinem, qui Apocenoſium dicitur, relegata. Activorum generum unum, nempe Menorrhagia, hujus diſputationis argumentum erit. Ejus haec definitio eſt.

"Dorſi, lumborum, ventris, parturientium inſtar dolores; menſtruorum copioſior, vel ſanguinis e vagina praeter ordinem fluxus *."

 Quoniam,

* Cull. G. M. G. 37.

Quoniam, praeter aliquas e partis affectae natura et actionibus proprietates orientes, huic cum reliquis ejuſdem ordinis generibus omnia fere communia ſunt; et ex iiſdem cauſis iidem effectus ſubnaſcantur neceſſe eſt; ideo, totius ordinis pathologiam, ſine qua hujus generis intelligenda non eſt, expoſiturus; eoque demum facto, ad proprium argumentum deſcenſurus, recte videor.

Quo vero haec doctrina clarius illuſtretur, et ad cauſam communem certius perveniatur, res ipſas ante omnia notare imprimis neceſſarium eſt.

Unicuique hujus ordinis generi communia ſunt; primum, partis laborantis aut vicinarum plenitudo ſeu tenſio; tum frigoris ſenſus; dein huic calor ſuccedens; denique calorem ſanguinis profuſio excipiens; poſtremo, haec ſua ſponte ſiſtens. Ea, ut in parte ſemper incidunt, ita aut hac ſola contineri, aut totum corpus afficere, inflammationis inſtar, poſſunt. Eandem hic quoque, quam in Phlegmaſiis, ſanguis ſpeciem praebet: Ideoque utrique generum morborum auctus

arte-

arteriarum tonus, ſeu diatheſis phlogiſtica, communis eſt.

PATHOLOGIA HÆMORRHAGIARUM COMMUNIS.

Quod ad harum rerum explicationem attinet, omnes e congeſtione manifeſte pendent. Congeſtionem dico, inſolitam ſanguinis copiam nimio impetu in partem aliquam percitatam cumulatamque. Cauſa ejus eſt libramen vaſorum ſanguiferorum mutatum, ſeu humorum in unam partem copioſior, quam in reliquas, pro re rata, diſtributio. Profluvium congeſtionem tollit, ſed ejus cauſam, nempe, ex libramine inaequali, impetum in partem nimium, minime movet. E contrario, cum talis impetus et profluvium ſemel inciderit, ob id ipſum, vaſa partis abundantiae novae magis deinde patebunt. Hinc congeſtio, eamque rerum ſeries ſequentium, et plerumque ſaepius, renovabitur. Sic, haemorrhagia plerumque procedit, et

totum

totum corpus afficit. Quod, ſi ſymptomata febrilia aliquando deſunt, ſi pulſus crebrior, plenior, et durior non eſt; id huic morbo cum inflammatione commune, et cauſae quoque communi tribuendum, eſt. Verum etiam, in affectione locali, ubi incidit, vaſorum actio et ſanguinis impetus, pulſatione partis indice, augentur. Haemorrhagia igitur et inflammatio magnam inter ſe rationis ſimilitudinem habent. Utraque a congeſtione praeeunte pendet. Cumque in utraque ſanguis, ad partem copioſius delatus, difficilius tranſmittatur; hinc impedimenti ſenſus oritur. Hoc impedimentum, pro ſtimulo agens, vaſorum partis reactionem magis, quam totius corporis, excitat. Reactionem horror et ſpaſmus comitantur, qui omni corporis molimini neceſſarii eſſe videntur. Sic inter ſe conveniunt morbi. Diſcrepant vero hoc, quod in haemorrhagia impetus et congeſtio in vaſis rubris, facilius hanc recipientibus et illi cedentibus, faciliuſque rumpendis, oritur; cum in membranae celluloſae denſioris vaſis, parte membranoſa ſtric-

tius

tius et arctius cohibitis, eoque ſanguinis rubri effuſionem minus recipientibus, inflammatio incidat. Quin et, quod hanc rationem optime illuſtrat, ſaepe uterque morbus, ut in peripneumonia cum haemoptyſi, conjungitur.

CONGESTIONIS CAUSA.

Quoniam morbus in congeſtione poſitus dictus eſt, ejus congeſtionis cauſam accuratius exſequi proximum eſt. Humani corporis ſtamina prima ita conformata ſunt, ut aliqua, procedente vita, vaſa plus ſanguinis, prae reliquis, citius recipiant. Atque hac ſola ratione explananda res vera eſt, nempe inaequalis, et ordine quodam temporis ſuccedens, diverſarum corporis partium explicatio. Ad partes ſic explicandas pertinet, ſanguinis in quamque magis pro rata parte, quam in reliquas, verſus impetus. Qui impetus, ſi altius cauſam ejus repetis, a firmorum ſtatu, illum dirigente, pendet. Horum

rum conſtitutio quaedam eſt, qua ſit, ut magis aut minus cedant, et ſic ſanguinis copiam, diſtributioni neceſſariam, adeo exquiſite recipiant, ut nulla in hujus impetu inaequalitas, niſi quam corporis incrementum poſtulet, malum nullum, longae vitae ſpatio, eveniat. Sed nihil in corporibus animalium abſolutum eſt, nullum adverſus aberrationes certum munimen; quin tam ex ſtaminum primorum vitio, quam e nonnullis vitae caſibus, praeter debitum aliae relaxentur, aliae adſtringantur partes. Itaque ut, conſtricta aliqua parte, in alias derivatur ſanguis, eumque relaxatae forte partis vaſa, reſiſtentibus ſolito more reliquis, abundantius recipiunt; ita ab alterutro hoc vitio, ſive ſtaminum primorum, ſive caſu illato, congeſtiones, inflammationes, et ſanguinis profluvia, incidunt hominibus. Quas ſanguinis impetus aberrationes quoniam ſatis exiguae mutationes efficiunt; igitur, quae vera earum cauſa ſit, paucis exponere conandum eſt.

Corporis

Corporis humani vaſa ſemper ita plena ſunt, ut, ultra diametron et contractionis ſtatum, iis abſque tali cauſa diſtendente naturalem, ſemper vivo homine diſtendantur. Ea quodam tenus diſtenſio, corporis animati uſibus, et juſto ejus partium libramini, ſine quo harum explicatio, quam corporis incrementum requirit, nulla futura eſſet, neceſſaria eſt. Per libramen fit, ut partes laxiores, et facilius ceſſurae, magis quam reliquae, diſtendantur, haeque ad illud vitae tempus, quod ipſarum rurſus diſtentionem poſtulat, reſiſtere non ceſſent, atque ſic quidem ſemper plenum corpus eſt; neque ea plenitudo, ſi intra certum finem conſiſtit, pro plethora morboſa habenda eſt.

Quae cum incidit, cum corporis vaſa plena, ultra id quo ad libramen opus eſt; tum partis alicujus ſive relaxatio ſive conſtrictio incidens, ad ſanguinis impetum mutandum, et mala inde pendentia excitanda, magis demum valebit. Ut hujus plethorae morboſae et ſtatus haemorrhagici cauſa inveſtigetur, quaedam altius inquirenda ſunt.

Quod

Quod corpora animalia a parvis initiis ad magnam molem perveniant, id humorum abundantiae, et firmorum hanc facile recipientium, laxitati tribuendum eſt. Haec priore vitae parte abundantia nihil plerumque obeſt, eoque minus, quo recentior adhuc vita eſt; propterea quod firma irruentibus humoribus facile cedunt, et rapidum corporis incrementum ſine ullo incommodo tolerant. Poſtea vero quam corpus paulatim multum increvit, et firmae materiei jam incrementum magnum accepit, jamque omnia firma, denſiora, cauſae diſtendenti magis contra reſiſtunt, tum demum plethorae morboſae periculum eſſe incipiet. Cumque eo res pervenit, ut firma amplius non cedant, nihiloque minus humorum abundantia in ea urgeatur, quod plerumque circa corporis humani ſtatum incidit, tum exquiſitum ſane plethorae periculum erit. Ideoque, circa pubertatem, in pleriſque plethorae mala primum ingruunt. Haec plethorae, quae cujuſquam ſit momenti, ratio, proceſſus et tenor eſt, et totus ejus rei cardo in corporis libra-

libramine vertitur. Itaque, ut poſt pubertatem plethora quoque viget, ſic diu ante eam non deſunt aliqua ejus veſtigia. Quam rem, quo clarior haec doctrina ſit, ordine proſequamur.

Ex corporis uſibus, quorum cauſa, aliarum partium et temporum ratione habita, natura aliter libramen variat, unus eſt, ut cerebrum, vitae, ſenſus, et motus organum, et alimento forſitan parando pars neceſſaria, eo primum formetur, quo maturius reliqua organa debitam magnitudinem adipiſcantur. Ob hanc cauſam, haec prae reliquis partibus, juſtam magnitudinem primum accipiet. Ad vaſa igitur cerebri, major, prae reliquis partibus, copia ſanguinis adfluet. Et, quia firma hic citius creſcunt, ob id ipſum, denſitatem, quam reliqua, majorem quoque ſortientur. Primumque hic a vaſis reſiſtetur; et, quia tamen humorum in eam partem impetus non protinus fieri ceſſat, ideo hic prima plethora erit. Quae, ſanguinis e naribus profluvio, ſubinde levabitur. Profluvium autem ex interiorum narium vaſculis

potiſſimum eo fit, quod haec in membrana laxiore minus ſuſtentata diſpoſita ſunt. Haec vaſorum capitis denſitas creſcens, impetum, in alias corporis partes, ubi vaſa minus reſiſtunt, paulatim inclinabit. Hinc impetus ad omnes aortae deſcendentis toto corpore ramos aequalius dirigetur; et ſic, creſcere capite deſinente, reliquum corpus ad debitam ſuam magnitudinem paulatim tandem perveniet. Rurſus, hic ſanguinis cum abundantia impetus, dum omnes aortae deſcendentis ramos denſiores uſque reddit, et in eos concitari ſimul non ceſſat, per totum id ſpatium plethoram magis magiſque gignat neceſſe eſt. Ideoque, prout corpus ad ſtatum ſuum adultum et ſummam magnitudinem magis accedit, plethora, toti corpori communis, major uſque erit. Quae, ſi ad morbi modum aſſurgit, in pulmonibus, qui cum toto reliquo corpore librantur, praecipue ſentietur. Qua in parte, licet vaſorum magnitudo minime reliquorum corporis omnium magnitudinem adaequet, ſanguiſque per pulmones tamen, eodem temporis ſpatio,

quo

quo reliquum omne corpus, tranſeat; quod, niſi velocitate tanto majore, quanto ſpatium vaſorum minus eſt, fieri non poteſt; ob eam cauſam, dum ubique praeterea reſiſtitur, ſi quid, qualis thoracis mala conformatio aut anguſtia eſt, pulmones ſimul coarctat, id nimium in hos ſanguinis impetum efficiet. Reque vera circa corporis ſtatum, tam cauſa hujus exceſſus, quam effectus, incidunt. Itaque, inter pubertatem et mediam vitae aetatem, nempe trigeſimum fere quintum annum, haemoptoe, ſeu ſanguinis e pulmonibus profluvium, potiſſimum incidit. Hae libraminis mutationes, corporis incrementi et aliorum uſuum cauſa inſtitutae, ſic ordine procedunt, et, quamdiu intra ſanitatis modum conſiſtunt, ſtaminum primorum ſanus ſunt effectus. Sed, ut haec ſtamina non ſemper bene ab origine conſtituuntur, ita ſaepe hinc morbi naſcuntur, ſaepius a vitae erroribus aliiſque caſibus inferuntur. Adeo enim integritati corporis natura conſuluit, ut ſanguis, niſi culpa admiſſa, raro morboſe profluat. Et hinc fit, ut non in ipſo corporis

poris ſtatu, nempe anno viceſimo quinto circiter, ſed citius aut ſerius, prout cauſae occaſionales incidant, prodeat haemoptyſis.

Poſt hanc libraminum arteriarum ſeriem, ab his ad venas paulatim ſanguinis abundantia vertitur, quod circa trigeſimum quintum aetatis annum praecipue efficitur. Hoc enim tempore, venae, quae, ineunte aetate, prae arteriis denſiores fuerunt, his demum, ſanguinis impetu et actione per tantum vitae ſpatium in ſe potiſſimum directo, rigefactis, cedunt laxiores. Eoque pacto, uti ante vis venarum reſiſtens arteriarum plethoram fecit, ita nunc, a parte arteriarum oblatum, idem obſtaculum in venis plethoram gignet. Cujus rei rationem experimenta * certa firmant. Hoc obſervationem, tempori

* Vide Vintringhamii experimenta, quae prima vitae parte arterias molliores, denſiores venas; poſteriore contra eſſe, oſtendunt. Item Joannes Inneſius, anatomiae peritiſſimus, eoque nomine in hac academia ſummopere ſtudioſis utilis, apud quem ego complures annos feliciter vixi, venam cavam, quae provectis

tempori Hippocratis coevam, nempe haemoptoen a decimo ſexto ad trigeſimum quintum annum praecipue incidere, explanat.

Sanguinis jam in venas abundantia inclinata, harum ea pars, in qua motus ejus prae caeteris languet, maxime, ideoque venae portae, periclitabitur. Hinc haemorrhois orietur. Praeter quam abundantiam ſanguinis venoſam, aliud ejus profluvium ſequitur. In cerebro, propter ſanguinis per ſinus reditum, motus ejus retardationi, ideoque congeſtioni, opportunus eſt. Hinc apoplexia ſanguinea, ſeu haemorrhagia cerebri Hoffmanno dicta, provectiores aetate adficit.

CAUSA

provectis aetatibus multo major aorta eſt, in partu hanc non ita ſuperare, rem in nondum nato et a venis et ab arteriis injectione expertus, mihi demonſtravit.

CAUSA PROPRIA MENORRHAGIÆ.

Doctrina ſupra tradita, cur initio vitae ad aſcendentis aortae vaſa, poſtea ad deſcendentis ramos, tunc ad venas univerſas, ſanguinis impetus potiſſimum dirigatur, explanat. Ibi vero, quod in humana aliarumque animantium natura perpetuum, et utrique ſexui noſtro commune, eſt, tantum agitavimus. Sed, quoniam generis humani foeminis actio propria eſt, a proprio quoque vaſorum libramine pendens; ita, antequam ad eam nimiam, eoque morboſam, explicandam aditus eſſe poſſit, de ejuſdem ſanae natura et cauſa pauca dicenda videntur.

Partes corporis, actionum et uſuum quorundam, ſuo cujuſque tempore, producendorum cauſa, explicandi ſeries ita, ut dictum eſt, procedit. Sed ea genitalium muliebrium conformatio eſt, quae explicationem, et ſic libramen proprium, requirat. Praeter arteriarum diſtentionis, in partibus corporis expli-

explicandis, effectum, eſt in explicatione, de qua agitur, earundem arteriarum diſtentione ſimul et extentione opus. Corporis alendi augendique cauſa, omnes ubique fibras non ſolum extendere, id eſt, in longitudinem producere, ſed materiam non fibroſam, quae longe maxima corporis pars eſt, his ſummis ſuperaddere, arteriarum eſſe videtur. Quo modo id fiat, hujus loci dicere non eſt. De ea re alii aliud ſentiunt. Verum, quod ad noſtrum propoſitum attinet, et a nemine addubitatur, earundem arteriarum ipſas ſe extendere eſt. Quod, ut alia omittam, in uteri vaſis manifeſtum eſt, ex libramine corporis etiam explicandum. Itaque, ut initio libramen inter omnia aſcendentis et deſcendentis aortae vaſa fuit, ſic, poſtquam in haec idem dein incubuit, aliud inter majora et quaedam extrema ejuſdem deſcendentis aortae vaſa certo tempore ſuccedit: Id, in utroque ſexu, pubertas eſt, et in utroque vaſa extrema, genitalia ſunt. Quid his in utroque ſexu commune ſit, ut a re noſtra alienum, omiſſo; foeminis proprium eſt, ut quaedam

quaedam vaſorum uteri conditio, generationis operi, et ſaluti corporis, quodammodo neceſſaria ſit. Ea horum vaſorum conditio, eſt eorundem ad extremos uſque fines, qua, cum illae proli jam gingendae ſunt, ſanguis in uteri cavum profundatur, explicatio. Quae vaſa hoc tempore id faciunt, ea hactenus majoribus ejuſdem aortae deſcendentis vaſis rigidiora, his reſtiterunt, nec in ſe impetum ſanguinis receperunt. Sed ob id ipſum, quod majora vaſa hanc impetus vim aliquandiu exceperunt, magis uſque addenſata, fines ſuos denſitate tandem ſuperant. Quo facto extenti, diſtenti, et ad extrema ora aperti, ſanguinem rubrum tandem profundunt. Jamque, reſiſtentibus dudum aortae aſcendentis, reſiſtentibus nunc deſcendentis vaſis, reſtituris diu adhuc venis, necdum in pulmones ſanguinis verſa abundantia, et aliis hujus cauſis deficientibus, omnium univerſi corporis vaſorum denſitas, contra extrema uteri ſola obnixe ſtans, exquiſitam in haec plethoram protrudit. Quae igitur plethora, hic exquiſita, et tanto major,

ſit,

ſit, quanto minore ſpatio continetur, neceſſe eſt. Dum hic vaſorum communis ſtatus eſt, et hoc futuri affectus seminium intus viget, vaſa uteri, in quae abundantia verſa eſt, hujus diſtentione ſtimulatrice, in validiores et crebriores contractiones impellentur. Quod ſi fibrae arteriarum muſculares, quo magis a corde diſtant, eo irritabiliores ſunt *; ideo hic maxima irritabilitas erit; et, uti in haemorrhagia et inflammatione accidit, aeque exquiſita actio, et in hanc niſus, ſit oportet. Quam actionem validiſſimam eſſe, propria primae et nonnullarum ſubſequentium eruptionum menſtrualium oſtendunt. Hujuſmodi ſunt calor, dolor partis, lumborum dolor, diatheſis phlogiſtica, et totius corporis pyrexia. Haec primum a plethora communi oriri poſſunt. Quam tamen poſt paucas primas eruptiones non incidere, multa oſtendunt. Ea enim vaſorum uteri conſtitutio eſt, ut ſemel evoluta et dilatata ſatis ſanguinis, quo profluvium efficiatur, re-

 cipere

* Cull. Inſt. CLIX. ſub finem.

cipere poſſint. Tum plethora communis neceſſaria non videtur, quia is ſtatus morboſus eſt; naturalemque et ſalutarem actionem a morbo contineri veriſimile non eſt. Cumque tanta temperamenti, habitus, copiaeque aut inopiae humorum, ſive natura ſive caſu in ſexu virili, varietas ſit, eadem abundantia ſexum muliebrem, id eſt, generis humani alteram partem, univerſam premi, ratio refellere videtur. Sed, praeter rationem, res vera contra plethorae communis opinionem ſtat. Primum enim alias plenas, alias attenuatas, videmus; quarum neque illae copioſius, nec hae parcius, ſemper menſtrua profundunt: Et, e contrario, hoc profluvium in attenuatis ſaepe abundat, in plenis non ita. Porro, adverſus eandem hanc doctrinam facit, inciſis cadaveribus obſervatum. Ei enim accumulationis, quod ad profluvium continendum ſatis ſit, vaſa uteri accommodari, arteriarum hypogaſtricarum in gravidis trunci non mutati, fines remoti incredibilem in modum aucti, fidem certam faciunt. Denique, quod partes corporis remotae, interrupto qua-

quacunque profluvio, afficiuntur, ea res plethorae communi immerito tribuitur; quia paucae ſanguinis unciae, quae effluxiſſe debent, intus contentae, et toto ſanguini diviſae, nullam unam partem multum movere pro copia poſſe videntur, cum conſtituti libraminis mutatio, alia ratione nocere facile poſſit. Hinc ſanguinis detractio communis vitia pure localia minus levare reperitur. Poſtremo, quod ſub magnis humorum abundantiae, et contra, viciſſitudinibus, menſtruandi tamen opus idem fere perſtet, ea res, quam minime id plethora communis afficiat, illuſtri documento eſt.

Nihil igitur aliud hic neceſſarium videtur, niſi certa vaſorum uteri firmitas, qua neque nimis, neque parum, influenti ſanguini cedant, eaque capacitas, qua neque plus juſto, neque minus, ſanguinis recipiant; excepto, quod ad prima profluvia, aut ubi haec nimia, eoque morbus, ſunt, plethora opus eſſe videtur. Tota igitur rei ratio huc redit, ut aliquot annos, a decimo circiter ad pubertatem in hac regione, vaſa paulatim

latim explicentur; et, cum menſtrua in eo ſunt ut jam erumpant, ad eruptionem efficiendam, praeter ſolitam explicationem, quae paulatim magis fit, inſolita congeſtio aut diſtentio, qualis in haemorrhagiis incidit, pro tempore excitetur, eaque congeſtio, pro ſtimulo agens, vaſorum actionem augeat. Hoc Hoffmanni et Stahlianorum molimen haemorrhagicum eſt. Quod ſubeſſe febrilia, ut ſupra dictum eſt, ſymptomata oſtendunt. Effuſio diſtentionem, ſeu auctum impetum, et effectum ejus actionem vaſorum auctam, tollet. Vaſaque collapſa primum rubras particulas, dein ſerum, tranſire prohibebunt. Quo facto, quia vaſa, quo magis diſtenta fuerint, eo magis relaxabuntur; ideo, poſt certum tempus, novae copiae capaciora erunt, et novum profluvium iterata plethora referet. Quare vero profluvium certis circuitibus, plerumque intra menſtruum ſpatium redeat, aliter explicabile non eſt, niſi, ut eam vaſorum uteri firmitatem et capacitatem eſſe dicas, quae ſanguinis copiam, ad fines ſuos

perrum-

perrumpendos neceſſariam, niſi intra certum temporis ſpatium, non recipiat, et rei deinde ordinem conſuetudine, cui multum in multis rebus corpora noſtra parent, in poſterum confirmari. Quanta ſit in corpora noſtra vis conſuetudinis, e multis, quae afferri poſſunt, documentis, uno aut altero contentus ero. Si quis ſive alvum levare, ſive urinam reddere, ſive quidvis fere facere, certo tempore ſolitus eſt, nulla eum ſtercoris in recto, nulla urinae in veſica inopia, neve caſus ullus objectus, a conſueta actione prohibebit. Simili modo, ſomni et vigiliae, cibique deſiderii reditiones, ab actionum vitae humanae conſuetudine multum certe pendent. Ut multum igitur in hac re conſuetudini tribuendum eſt, ita an ſola certorum apud nos motuum cauſa ſit, addubitandum eſt. Sunt obſcuri motus quotidiani in noſtris corporibus integris; ſunt in iiſdem febre continua laborantibus; et, praeter hos, in febribus tertiani et quartani motus ſunt, quales intermittentium acceſſiones, et continua-

tinuarum judicationes *, peragunt, et quales quoque periculo facto, et pulſus ratione ſubtilius comperta, in ſanis corporibus noſtris forſitan reperirentur. An natura igitur ſponte ſua, ſine conſuetudine, aut etiam contra eam, in certos motus eat, ſaltem inquirendum eſt. Verum, quaecunque altior hujus rei cauſa ſit, praeter motus modo memoratos, alii dantur, a quibus noſtra corpora non aliena ſunt. Hujus rei memorabile exemplum ſtatuta menſtruorum reditio eſt. Neque annuos quidem motus ex toto rejicere videmur. Ita juvenis quidam ingenioſus, in hac academia medicinae ſtudioſus, per multos ſuae vitae annos, certo quotannis tempore, cynanche inflammatoria laborat. Eodem pertinet,

* Sic tertium, quintum, ſeptimum, nonum, undecimum, decimum quartum, decimum ſeptimum, et viceſimum dies De Haenius et Cullenus ex Hippocrate demonſtrarunt.

net, quam Sauvageſius retulit, annua ephemera. Quin, ut aiunt,

"Omnibus et lippis notum et tonſoribus eſſe,"

exiſtimo, quantam neceſſitatem ſanguinis detrahendi adferat certis temporibus, ut verno, ſolita ejus detractio; qui mos apud vulgus ruſticum pariter et pecus ejus valet. Unoque verbo, uterus a reliquo corpore parum pendere, ejuſque de qua agitur actio, magis in ipſius vaſorum cum eorum finibus, quam in ullo latius ad corpus pertinente, libramine, poſita eſſe credenda eſt. Quodque ad auctum aut imminutum uteri profluvium, corpus latius afficiens, attinet, id nulli corporis communi, ſed ſolius uteri ſtatui tribuendum eſt; ideoque affectiones, profluvium menſtruorum interruptum ſequentes, tribuique plethorae communi ſolitae, non ad eam, ſed uteri propriam, tum maxime, cum vaſa ejus et implentur, et non more ſolito ſuis finibus abundantia ſe exonerant, referendae ſunt. Simili ratione, profluvii nimii

in

in corpore communi effectus, non protinus, et in pleriſque caſibus plethorae, quae nuper communis fuerit, ademptae, ſed juſtae vaſorum uterinorum tenſioni imminutae, et ſic genus nervoſum varie afficienti, imputandi ſunt. His de ſalutaris menſtruorum natura et cauſa praepoſitis, quo immodici eorundem profluvii clarior et illuſtrior ſit, a praecipuis ſymptomatum repetendis exordium recte ſumendum videtur.

Igitur, ſi ſymptomata, ſupra in definitione morbi memorata, nempe, "dorſi, lumbo-"rum, ventris, parturientium inſtar, dolo-"res, menſtruorum copioſior, vel ſangui-"nis e vagina praeter ordinem fluxus," adſunt; ſi profluvium aut copia, aut tempore, aut crebro reditu, magis modicum eſt, quam in pleriſque mulieribus, ſive quod certius indicium eſt, in eadem eſſe conſuevit; ſi acceſſionem ſigna claſſis, nempe, Pyrexiarum communia, et huic morborum ordini in primis propria, ſcilicet, horror et tremor praecedunt; denique, poſt aliquot acceſſiones, ſi magna totius corporis actionem, etiam in

acceſ-

acceſſionum intervallis, debilitas ſequitur, qualem vultus et totius faciei pallor, cutis detumeſcens, pulſus debilis et parvus, item ventriculi affectiones, nullum cibi deſiderium, anxietas, nauſea, et aliquando vomitus, atque animalium actionum defectus, nempe, laſſitudo, languor, et omnis motus corporei impatientia, indicant; poſtremo, ſi ea demum ſanguinis tenuitas eſt, quae ad inter cutem effuſiones ducit; prout haec omnia inter ſe magis aut minus aut concurrunt aut ordine ſuccedunt, ſcire licet, profluvium, quod alioquin, et ſine his effectibus, procedens, naturale aeque ac ſalutare eſt, praeter naturam jamque morbum, de quo agitur, eſſe.

CAUSA PROXIMA.

Morbum continens cauſa eadem, ſed auctior, eſt, quae menſtrua continet; nempe, in vaſis uterinis congeſtio ſanguinis inſolita, ſive praeter naturam impetus, vaſorum

actionem ſupra modum augens, et ab hac invicem auctus; vel, eorundem vaſorum haud juſto majorum aut relaxatorum atonia.

CAUSÆ REMOTÆ.

Cauſae remotae morborum, nullo uſu in poteſtates nocentes et ſeminia, qua in re illuſtris vir Gaubius Aitiologiam ſuam multum confudiſſe videtur, ſemper deducendae ſunt. Quae utique diſtinctio, ut alios morbos, quorum cauſae commode et utiliter pro ſimpliciter remotis habendae ſint, taceam; certe in phlegmaſiis, haemorrhagiis, et nonnullis aliis nervoſi generis affectibus, cum fructu adhibetur.

SEMINIUM.

Menorrhagiae ſeminia ſunt, mala uteri vaſorum conformatio, ſive congenita, ſive caſu

ſu inducta, item plethora toti corpori communis. Licet plethora, ut ſupra dictum eſt, non ſit, menſtruorum integro corpore et placide, poſtquam conſtituta ſunt, procedentium, cauſa; tamen, unde unde eſt, immodici profluvii, ſive menorrhagiae, periculum faciet. Omnia igitur quae plethoram gignunt, viam ad hunc morbum ſternunt. Ejuſmodi ſunt victus lautus, quietum vitae genus, profluvia ſolita ſuppreſſa, ſanguinis detractio, et calor immodicus. Quo modo victus lautus ad nimis alendum corpus, ideoque ſanguinis rubri abundantiam creandam, pertineat, ita manifeſtum eſt, ut explicatione noſtra non egeat.

Quietum vitae genus ad plethoram faciendam dupliciter pertinet. Nam, ſive localis, ſive communis plethora cauſa morbi eſt, illud, perſpirationem occludendo, et humores intus, cum in omnia corporis tum in uteri vaſa, convertendo, pariter nocebit. Utque idem in maribus ſanguinis venae portae abundantiam, et ſic haemorrhoida facit; ita in foeminis eandem in uteri vaſis abundanti-

am,

am, et ſimilem effectum, nempe, morbum noſtrum, edit.

Profluvia conſueta ſuppreſſa minus frequens hic noxa ſunt. Sed, ſiquando occurrunt, non tam abundantiam creando, quam genus nervoſum afficiendo, et libramen vaſorum mutando, agere videntur. Cui tamen ſub hoc capite eo locum dedimus, quod non ſolum potens plethorae cauſa vulgo habetur, ſed aliquo modo ad plethoram communem, et plurimum ac manifeſte ad hanc localem, ea quae relata eſt actione, inferendam valet.

Quo modo ſanguinis detractio plethoram gignat, hic dicendum non eſt; propterea quod, ſi quis rem veram requirat, certa ea et nemini addubitata eſt; ſi rationem poſtulet, eam hujus chartae fines non recipiunt, et pathologia ſupra tradita ſatis explanat.

Quod ad calorem attinet, licet is, perſpirationem augendo, relaxandi effectum penſare videatur, tamen non facit, magiſque ſuppreſſionem perſpirationis, quae pro ratione auctam hanc ſubſequi nota eſt, efficiendo,

do, nocet, quam perſpirationem expediendo prodeſt; et praeterea magno irritamento eſt.

Quod ad feminium, quod mala uteri vaſorum conformatio dat, attinet, congenita conformatio mala e primigenitis corporis ſtaminibus, vaſorum uteri libramen mutantibus, et, ut haec aut ampliora juſto, aut dilatabiliora, aut laxiora ſint, efficientibus, immedicabili malo, pendet. Quae conditiones, quo modo ad menorrhagiam creandam valeant, in pathologia ſupra tradita ſatis explicatum eſt. Sed hanc cauſam ſubeſſe, et in noſtro morbo maxime metuendam eſſe, maturus menſtruorum in corporibus exiguis et gracilibus adventus, aut immodica poſtea profuſio, declarat. Ita menſtrua, puellis duodecim annos natis, exiguoque et gracili corpore omniſque plethorae experte, et ſimilibus habitibus provectiore aetate, ſaepe uſu veniunt *. Quae res ad doctrinam noſtram de hujus morbi natura confirmandam,

et

* Cull. Praelect. de uſu,

et plethorae communis opinionem refellendam, multum valet.

Acquiſita quoque conformatio mala idem ſaepe efficit. Hanc graviditas frequens, frequens abortus, partuſque diuturnior aut laborioſior, creant. Ea ſic nocent, quia vaſa uteri nimis diſtendunt. Quae diſtentio, ut ſpatium dat, quo vitioſa humorum abundantia recondatur; ita, ut pro ratione maturior et amplior effuſio ſit, et ſic crebrius redeat, efficit. Ideoque cum plethora, diſtentionem faciens, ſtimulus ſit, quo nimia vaſorum actio, id eſt, molimen haemorrhagicum, excitetur; quo modo is vaſorum uteri ſtatus ad menorrhagiam creandam valeat, ex ſupra tradita doctrina noſtra facile patebit. Sed eaedem noxae, ultra tonum vaſa diſtendendo, et ſic eorum ora patula nimis relinquendo, eundem effectum trahunt. Haec ſunt menorrhagiae ſeminia. Quibus conſtitutis, poteſtates nocentes deinceps conſiderandae ſunt.

PO-

POTESTATES NOCENTES.

Poteſtates nocentes ſunt omnia, quae aut toto corpore, aut in vaſis uterinis, ſanguinem percitant, aut aliter genus nervoſum irritant. Toto corpore ſanguinem percitant, aut genus nervoſum irritant, ea ſubito incidentia, quae diutius continuata plethoram communem faciunt: Qualia ſunt, poſt famem aut inediam, victus plenior aut uberior, maximeque ſtimulans, ut cibus ex carne paratus aut aromatis conditus; potio vinoſa, magiſque ſpirituoſa; exercitatio ſubita et vehemens; inſoliti niſus; acria remedia; animi perturbationes; poſt frigus calor. Ut horum omnium effectus ſine ſeminio irritus foret; ita, hoc dato, id eſt, abundantia ſanguinis in vaſis uterinis jam ante vigente, ut hanc potenter in morbi modum concitent, neceſſe eſt.

Reſolutionem et atoniam vaſorum uteri excitant, omnia quae ſimmum ſimplex relaxant,

laxant, et genus nervoſum debilitant, ut balneum, calida potio, excretiones aut profluvia nimia, affectiones animi ſedantes, ut terror ſubito incuſſus. Ea vim nervoſam, cujus in motrices vaſorum fibras influxio ad vim inhaerentem ſuſtentandam neceſſaria eſt, in eas influere prohibendo agunt.

In utero, aut prope eum, ſanguinem percitantia et irritantia ſunt, Venus immodica, ſtercus durum, et acria iterum medicamenta, ut cathartica, emmenagoga dicta, et praecipue cantharides; nam, quod ſchirrum, polypum, cancrum, iſchuriam, his cauſis nonnulli numeraverint, id, vulgi medicorum more, apud quos ſymptomata inter et morbos nullum diſcrimen eſſe ſolet, feciſſe videntur. Veneris immodicae magnus ſtimulus, quo vaſorum uteri actionem concitat, ea ratione nocet, qua optimum adverſus amenorrhoeam remedium eſt.

Stercus durum, non ſolum premendo et irritando partem vicinam, ſed vehementius ſpiritu tracto, muſculiſque abdominis in violentas

olentas contractiones excitatis, horum quoque preſſione noxae eſſe poteſt.

Quae in ipſum uterum recta agunt, ſeparata a reliquo corpore actione, poteſtates nocentes minus manifeſtae ſunt. Dicique ſolum poteſt, eas noxas, cujuſmodi ſunt partus difficilis, abortus, et graviditas, quae ſeminium dare dicta ſunt, ad hoc per occaſionem excitandum etiam pertinere.

DIAGNOSIS.

A naturali menſtruorum profluvio, praeter immodicam profuſionem, morbum diſtinguunt, debilitas, anorexia, digeſtio prava, vultus et faciei pallor, pulſus languidus et creber, pedum oedema, ſomnus turbatus et parum recreans.

PROGNOSIS.

Judicium eventus, profluvii diuturnitatis, copiae, frequentiae, et cauſae, rationem ſpectat. Itaque, ſi vaſorum uteri conformatio mala profluvium continet, difficilis eo curatio erit; propterea quod hinc vitia congenita, illinc conſuetudine firmata, auxilium vix recipiunt. Nec melior fere is caſus eſt, quem inveterata ebrietas fecerit. E nimia Venere ortus, fauſtiorem finem haberet, ſi vinci libido poſſet. Item intractabilior morbus erit, quo diutius permanſerit. Quod ſi, quod aliquando fit, ad id copiae et frequentiae profluvium ſurrexit, ut in omnibus actionibus, animalibus, vitalibus, et naturalibus, vim nervoſam, omnia debilitando, fregerit, et ſumma firmorum reſolutio anaſarcam minitetur, reſpiciendus miſerae finis eſt.

Eſt exitialis caſus, a ſchirro, aut aliquo uteri affectu alieno, pendens, qui, quia ſymptoma

ptoma eſt, noſtri nihil refert. Poſtremo, quia uteri vaſorum libramen, in ſe ſaepe abſolutum, a reliquo corpore minus pendet; ideo remedia, quo minus ad ipſam partem perduci poſſunt, eo minus ſaepe valebunt.

CURATIO.

Cum plethora, ut ſupra dictum eſt, duplex hunc morbum ſuſtentare poſſit, altera toti corpori communis, altera utero ipſo magis contenta; ita, utraque in curatione ſpectanda eſt; praeterque id, uterinorum vaſorum extremorum cum laxitate atonia rationem quandam poſtulat.

Conſilia igitur medendi ſunt tria; primum, toto corpore; dein, in utero, ſanguinis copiam et impetum imminuere, et redire prohibere; item, vaſis uterinis tonum reſtituere.

Primi conſilii, nempe, ſanguinis copiam et impetum toto corpore imminuere, remedia

dia ſunt; victus parcior, aër frigidiuſculus, corporis et animi quies, item irritamentorum quorundam vitatio, perſpirationis reſtitutio, et ſanguinis detractio.

Victus ſumma ratio habenda eſt. Cumque plenus praecipue plethoram communem faciat, et factam ſervet, ita ad hanc tollendam contrarius, nempe, perquam parcus, ſummopere valeat neceſſe eſt. Iſque eo accuratius, quo plus moliminis haemorrhagici, quod habitui inflammatorio affine eſſe dictum eſt, ſubeſt, adminiſtrari debet. In victus materia, cavendum eſt ne nimis alat, ſtimuletve; igitur vitandus e carne paratus cibus, cui e plantarum genere ſumptus, et praecipue farinaceus, anteponendus; item, condimenta aromatica, vina, et potio omnis ſpirituoſa, fugiantur: Pro quibus, aqua egelida, cui acidum adjectum ſit, potui detur.

Fugienduſque, qui humores rarefacit et firma ſtimulat, calor; quem alteram poteſtatem nocentem dictum eſt. Sed neque ſummum frigus, praecipue rivo quaſi quodam in corpus directum, quaerendum, ne hoc

quoque

quoque ad diatheſin phlogiſticam irritandam, eoque molimen haemorrhagicum augendum, conferat. Amplum ſit et perflatum cubiculum, lectus paulo durior, nec veſtis ſtragula gravis corpori imponatur.

Licet corporis motus, perſpirationem expediendo, prodeſſe, et quies contra, illam impediendo, et humores intus convertendo, obeſſe, et una poteſtatum nocentium eſſe, dicta ſint; tamen, cum morbus jam coeptus eſt, vigeatque corpore toto plethora, hujus omnis motus, utpote qui, muſculis vehementer agentibus, ſanguinis venoſi ad cor reditum percitet, et ſic gravi ſtimulo eſſe poſſit, jure extimeſcitur.

Item, animi affectiones vehementiores, quae, ſtimulando et plethoram irritando, hunc morbum excitantibus noxis annumeratae ſunt, vitari etiam convenit.

Adminiſtrationis quoque antiphlogiſticae pars haud negligenda eſt irritamentorum quorundam vitatio. Igitur, ſi ſitis urget, ab ea oriens irritamentum potione egelida, et duri ſtercoris ſtimulus clyſteribus, tollenda ſunt;

ſunt; et ſic, ne plethora communis nocentior ſit, et habitus phlogiſticus augeatur, cavendum.

Denique, cum perſpiratio impedita plethorae communis cauſarum praecipua ſit, habitumque inflammatorium ſummopere augeat, unde jure noxis hunc morbum excitantibus accenſa eſt; ita ejus reſtituendae cura non omittenda eſt. Eadem acceſſionis periculum multum adauget: Quo nomine, ſub ſecundo medendi conſilio, iterum ejus mentio fiet.

Quae de hoc conſilio dicta ſunt, ea, ad adminiſtrationem antiphlogiſticam omnia pertinent; ſed eidem curationis parti remedium quoque reſpondet, de quo nunc dicendum eſt.

Sanguinis detractio, ut in phlegmaſiis et aliis haemorrhagiis, ita hic quoque adverſus plethoram et diatheſin phlogiſticam, cum eae univerſo corpori communes ſunt, rite adminiſtrata, uſui eſſe poteſt; quo remedio non, aut parcius utendo, morbumque hunc naturae relinquendo, Stahliani aliique aegro-

tantibus

tantibus ſuis male conſulerunt. Nihil enim ad tenſionem vaſorum, quae in plethora communi et diatheſi phlogiſtica eſt, imminuendam, et ſic nimium tonum ab hac pendentem reſolvendum, magis eo pertinet. Quod quomodo faciat, paucis accipe. E tribus partibus ſanguinis, globulis rubris, glutine, et ſeroſitate, gluten, cum globulis rubris conjunctum, ut in ſanguinis vaſis educti craſſamento videre eſt, et non, ut in ſero eſt, ſeroſitate diſſolutum, pars ea viſcidior eſt quae rubris vaſis continetur, et cui ea praecipue ſuam tenſionem debent; dum aquoſa ſalina pars, ſeroſitas dicta, aliquantulum glutinis diſſolutum retinens, qui compoſitus humor ſerum dicitur, in vaſis non rubentibus copioſius influit: Cum igitur haec ſanguinis inter ſe partium ratio ſit, gluten propria ſua forma vaſis rubris, ideoque majoribus, abundare, et ſanguinis detractione praecipue auferri, ſequitur. Hinc hoc remedium, vaſorum tenſionem tonumque, eoque plethoram et diatheſin phlogiſticam communem, ſaltem pro tempore, imminuat neceſſe eſt.

Utile

Utile igitur adverſus hujuſmodi affectum remedium neceſſario eſt. Idque multis in caſibus res vera confirmat. Sed cum haec idem remedium, quod plethoram primo tempore imminuit, hanc quoque poſtea augere oſtendat; quo modo et id fiat, quo facilius ſalutiferam inter et noxiam ſanguinis detractionis vim diſcernatur, et haec vitetur, impetretur illa, uno aut altero verbo dicendum. Pars ſanguinis viſcida, ſive gluten, ea eſt quae fluentiorem, foraminibus ſuis retinendo, mille vaſorum exitibus, ut aquam cribro, effluere undique prohibet. Et, ſi ſanguinis detractio, quae, abſtracto glutine, reliquae parti hanc fugae copiam praebere poſſe videatur, non praebeat, ſed, e contrario, omnes ſecretiones et excretiones imminuat; id facit, quia cordis et arteriarum vim toto corpore imminuit, et ſanguinem, eoque in extremis omnibus vaſis ab eo proficiſcentes humores, retardat. Hinc, dum ab altera parte cordis et arteriarum ad extremos uſque fines, et horum maxime,

actio debilitatur, et ubique, praecipue in extremis vaſculis, vis inhaerens, et hanc ſuſtentans nervoſa, languet; ab altera parte, actiones naturales, et praecipue digeſtionis, non imminuuntur; ideo, recente cibi materia uſque ſuppleta, et minore humorum per extrema vaſa jactura, quam ante, facta, amiſſum gluten cito reparabitur. Et quo ſaepius id fit, eo promptior effectus erit. Unde, ut ſanguinis detractio primum, et adverſus communem plethoram, auxilio eſt, et inſtantia mala ſublevare poteſt; ita eandem, poſtea et ſaepius adhibitam, plethoram reducere, et vitium contra quod paratum ſit, exaſperare, clare ſequitur. Permittenda igitur eſt adverſus plethoram. Sed, ubi morbus increbreſcit, quia ſaepius ad eam decurrere noxae erit, aliis remediis credendum.

Quod ad ſecundum conſilium attinet, quod eſt ſanguinis in ipſius uteri vaſis impetum imminuere, et plethoram tollere, eadem, quae primo, huic quoque, remedia conveniunt. Quae quidem, quatenus communis plethora localem ſuſtentat, illam imminuendo;

minuendo, hanc imminuant neceſſe eſt. E quibus irritamentorum, ſupra memoratorum, vitatio uterum praeſentius levabit. Hic vero a libidine, ſi fieri poteſt, omni ratione cavendum eſt. Item perſpiratio, quae occluſa non ſolum intus in communia corporis, ſed in uteri maxime, vaſa humores impellit, expedita ad impetum in parte, et nimiam vaſorum actionem imminuendam, plurimum poteſt. Atque hoc in loco, quatenus ejus effectus in ſummum corpus dirigi, et a parte laborante averti, poteſt, exercitatio uſui erit. Quae, ſi in ipſo profluendi tempore non nocere reperta eſt, certe in intervallis, quibus certius perſpirationem ſuſtentabit, minime timendum eſt: Cujus rei ſubtilior adminiſtratio experientiae credenda eſt. Ad hoc caput, humorum impetum ab utero avertendi, pertinet in mulieribus puerperis lactationis uſus. Qui, in iis quae eo maxime egent, ſcilicet, laute viventibus, nimis, et cum magno ſaepe malo, negligitur. Emetica hic, vaſa extrema afficiendo *, uſui eſſe

dicta

* Vid. Brian Robinſon.

dicta ſunt; idque gravium virorum experientia confirmare incipit *.

Hactenus de morbi, ut in vaſorum uteri plethora, quam aliquando communis augeat, et in aucta vaſorum partis actione, cum aucto ſanguinis impetu, conſiſtentis, curatione dictum eſt. Verum, cum, ut ſaepius jam ante paſſim per hanc chartam relatum eſt, congeſtionem menorrhagiam continentem, aliquando flacciditas aut atonia vaſorum uteri faciat, eaque conditio, ſive congenita ſive caſu inducta, alteri, quam haemorrhagicam dicas, multum diſpar, ſive etiam contraria, ſit, et atonica dici poſſit; ideo qualis ei curatio conveniat, deinceps eſt dicendum; eoque magis, quod talis curatio, quaecunque erit, eadem, ac cujuſdam affectus, cum hoc morbo ſaepe conjuncti, ſed non ſatis ſimpliciter a vulgo medicorum tractati, nempe, leucorrhoeae, curatio, eſſe reperitur. Uterque morbus, ſive ejuſdem morbi gradus, in atonia conſiſtit, et utriuſque medendi

* Cull. Praelect. de uſu.

di conſilium eſt, tonum reſtituere, eoque remedia tonica ſunt. In hunc igitur caſum tertium noſtrum conſilium comparatum eſt. Quod eſt

Vaſa uteri tono impertire. Si igitur eorum atonia cum communibus corporis conjuncta eſt, tonica conſueta conveniunt. Hunc effectum praeſtant, victus alens et concoctu facilis, item exercitatio et frigida lavatio, tonica proprie dicta, quorum praecipuum cortex Peruvianus eſt, et ferrea.

Quod ad victum attinet, parcus ante relatus, imminente profluvio, hic quoque adhibendus videtur; nam, ſi vaſa infirma ſolitum humorum onus parum ferunt, quin cedentia profluvium ſtatuant, multo minus inſolitum perferre putanda ſunt. Ideoque cum victus tenuis, tum reliquae adminiſtrationis antiphlogiſticae partes, magna ex parte, in hoc etiam caſu, inſtante acceſſione, auxilio erunt. Verum tonica, cum alia, tum victus alens et concoctu facilis, hic in intervallis adverſus acceſſionem morbi, ſola uſui eſſe poſſunt. Aptiſſima materia hic juſculum

ſive

ſive bubulum, ſive incocto pullo confectum, parcius et ſaepius dandum; vinum Oportoenſe, aut merax, aut dilutius, bibendum; neque carnea materia, dummodo levis ſit et non largius ſumatur, neganda. Exercitationis genus viribus accommodandum eſt, eoque aut rheda, aut equo, aut pedibus ferri, dummodo hoc citra laſſitudinem ſit, licebit.

Simili modo ac exercitatio, lavatio frigida agens, nempe, firma ſimplicia denſando, ad ſumma corporis humores revocando, et univerſorum vaſorum tonum augendo, ſimilem opem promittit.

Huic conſilio tonica propria multum quoque accommodantur. Nam, cor et arterias majores non movendo, humorum in partem impetum non concitant, et, in extrema univerſi corporis vaſa vim ſuam dirigendo, horum tonum confirmant, poteſtateſque, animalem pariter, nervoſam et inhaerentem, mirum in modum excitant. Hac in re omnibus aliis tonicis cortex Peruvianus anteponendus eſt. Verum, quod ad omnium, ne ejus excepto, uſum attinet, quoties hoc diuturniore

turniore opus erit, is ſubinde intermittendus, dein repetendus eſt; eoque magis, quod continuatus et longior, pro tonico atonicum effectum edere, et morbum, cujus medendi cauſa adhibeatur, augere, periclitatur. Hic quoque, ut alias, alumen adſtringendo remedio eſt.

In hoc opuſculo, ut mihi, nondum in morborum curationibus verſato, multa, tam res veras quam rationes ſpectantia, aliunde erant ſumenda; ita a quam optimo auctore ea ſumere, et maximi viri, Praeceptoris noſtri Culleni, doctrinam potiſſimum ſequi, placuit. Cui viro, quid haec Academia illuſtris, quid genus humanum, in omni artis ſalutiferae parte debeat, notius, et ipſe ſecundiore fama, eſt, quam ut aut teſtimonio aut praeconiis noſtris ei omnino opus ſit.

Vale, Vir illuſtris, et in me collatorum beneficiorum, quorum maximum mihi ſemper doctrina accepta erit, gratias ſaltem accipe.

F I N I S.